

Dissertatio philosophica in qua atheorum exceptio, contra argumentum pro existentia Dei a causis finalibus ac sapiente rerum nexu defuntum, examinatur

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 19

PDF erstellt am: **22.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394679>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

in qua

Atheorum exceptio, contra argumentum
pro Existentia Dei a Causis finalibus ac sapiente
rerum nexu defutum, examinatur.

§. I.

OMnis illa de Dei natura, ejusque existentia
disputatio nonnisi mentis nostræ imbecil-
litate probare videtur. Si ad superio-
rem aliquam entium intelligentium clas-
sem pertineremus: si minus arctis mentis nostræ
facultates circumscriptæ essent limitibus: si omnis
illa rerum materialium, quibus intellectus noster
obfuscatus est, caligo esset expulsa, nulla etiam
de Deo, ente infinito, nobis in hoc vitæ ævo
plane incomprehensibili, foret disceptatio.

§. II.

Ideis nimirum rerum corporearum adeo adsueti
sumus [quas ipsas tamen nonnisi superficialiter cog-
noscimus], ut de aliis entibus vix cogitare possi-
mus, & quasi negativam tantum eorum habea-
mus scientiam, uti TIMÆUS apud PLATONEM
a SOCRATE interrogatus: *Quid Deus sit?* respon-
det: *Τὸ μὲν ἔκ ἐστίν, οἶδα. Τὸ δὲ ἐστίν, ἔκ οἶδα.*
Quid non sit, scio. Quid sit autem, nescio. Et DA-
MASCENUS de *orthodoxa fid. lib. I. c. 4. De Deo,*
quid sit secundum substantiam, dicere impossibile, con-
venientiusque de Deo longe esse per omnium ablationem
facere sermonem. Cum sit nihil eorum, quæ sunt;

Non ut non ens, sed ut omnia entia supereminens & super ipsum esse ens.

§. III.

Hæc tamen ignorantia nostra non impedit, quo minus sciamus, inter ens intelligens, sapientia ac rationis usu præditum, & ens facultatibus hisce destitutum maximam esse differentiam. Quotidiana enim experientia deprehendimus, aliter comparatum esse agendi modum entium rationalium, aliterque se habere rerum illarum effectus, quæ nonnisi bruto aliquo impulsu agunt. Fit inde, ut de operibus quibuslibet, quæ quotidie se nobis offerunt, facile judicare possimus, num manu sapientis alicujus opificis, num vero casu, ac materiæ irrationalis motu sint effecta.

§. IV.

Conspicimus machinas artificiosissimas, ædificia splendida, hortos mira arte fabricatos, variæ artis suppellectilia, libros maximo ingenii acumine conscriptos, aliaque plura, de quibus hoc statim ferimus judicium: Illa nonnisi entis intelligentis, sapientisque posse esse opificium. Neque quisquam nostrum, subtilissimis etiam eo adduci potest argumentis, ut sibi persuaderet, ea nonnisi fortuito aliquo casu, nonnisi cæco aliquo impulsu, ita fuisse fabricata comparataque. Videmus alia, in quibus nec ordinem, nec sapientem partium harmoniam, nec humanam aliquam deprehendimus artem, ideo ea nonnisi bruto alicui adscribimus casui.

§. V.

Quæ concludendi ratio in minoribus obtinet, ea simili in casu, etiam in majoribus locum habet.

bet. Uti ex hominum artificiis de Opificis qualitatibus ac attributis conclusionem inferimus, sic ex Universi conspectu de summi omnium rerum Auctoris proprietatibus judicare solemus. Consideramus varia illa, quæ tam in totius mundi structura, ac ejus regimine obveniunt; concludimus ea sic esse comparata, ut nonnisi ens intelligens, sapientissimum, infinitaque Potentia præditum, auctorem habere queant.

§. VI.

Facillima ac naturalis hæc ab effectu ad causam argumentandi methodus omnibus temporibus tunc imprimis locum inveniebat, quando de adstruenda Dei existentia ac sapienti Universi regimine agebatur. Ex hoc principio ratiocinantur Philosophi veteres CICERO & SOCRATES, Prior de Nat. Deor. Lib. 2. cap. 34. *Quod si, inquit, omnes mundi partes ita constitutæ sunt: ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus utrum ea fortuitane sint: an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, divinaque providentia. Si igitur meliora sunt ea, quæ natura, quam illa, quæ arte profecta sunt: nec ars efficit quicquam sine ratione: ne natura quidem rationis expertis est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam cum adspexeris, scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur: aut quum solarium, vel descriptum, aut ex aqua contemplare, intelligere declarari horas arte, non casu? mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilii & rationis esse expertem putare? quod si in Scythiam, aut in Britanniam, spheram aliquis tulerit*

rit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius:
 cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole, & in
 luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in
 caelo singulis diebus, & noctibus: quis in illa barbarie
 dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione? hi autem
 dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & fiunt omnia,
 casusne ipse sit effectus, an necessitate aliqua, an ratio-
 ne, an mente divina: & Archimedeum arbitrantur plus
 valuisse in imitandis sphaerae conversionibus: quam na-
 turam in efficiendis: praesertim cum multis partibus sint
 illa perfecta, quam haec simulata solertius. Idem mox
 ita ratiocinatur: Hic ego non mirer esse quenquam?
 qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida, atque in-
 dividua, vi & gravitate ferri: mundumque effici orna-
 tissimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concur-
 sione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse: non in-
 telligo, cur non idem putet, si immemorabiles unius &
 viginti formae litterarum vel aureae, vel qualeslibet, ali-
 quo conjiciantur: posse ex his in terram excussis, anna-
 les Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio
 anne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna.
 Hisce statim fere subjungit: Quod si mundum efficere
 potest concursus atomorum: cur porticum, cur templum,
 cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus
 operosa: & multa quidem faciliora. Certe ita temere
 de mundo effutiunt: ut mihi quidem nunquam hunc
 admirabilem caeli ornatum, qui locus est proximus, suspe-
 xisse videantur. Non multis interjectis denique ad-
 dit: Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam
 certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque
 omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his
 ullam inesse rationem: eaque casu fieri dicat, quae
 quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus.
 An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus:

ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta: non dubitamus quin illa opera sint rationis? cum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non solum ratione fiant? sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Totum itaque Ciceronis ratiocinium hoc est:

Quaecunque harmonia talis est, ut concipi neutiquam possit, quomodo absque ente sapientia & ratione praedito oriri potuerit, conservarique queat, illa oportet ab ente sapiente ortum habeat, & ab eo moderetur.

Atqui Universalis illa, quam in mundo deprehendimus, harmonia ita comparata est, ut omne artificium sapientia humana fabricatum excedat, & nullo modo concipi possit quod absque ente sapientissimo oriri potuerit. Ergo oportet harmonia universalis illa, mirabilisque, ens aliquod sapientissimum auctorem habeat.

Eodem etiam SENECAE ratiocinia redeunt, qui mox ab initio libri illius, quem ad Lucilium scripsit, in quo quaestio agitatur: Quare bonis Viris mala accidant, cum sit providentia? inter alia ita loquitur: Supervacuum est in praesentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, & quae casus incitat, saepe turbari, & cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum & ex dispositione lucentium: non esse materiae errantis hunc ordinem: neque quae temere coierunt, tanta arte pendere. &c.

Liquet ex hisce verissimum esse quod Apostolus PAULUS de Dei ex mero rationis lumine cogni-

tione dicit Rom. I: 19. *Nam quod Dei cognosci potest, inquit, id apud eos manifestum est, utpote quum Deus eis patefecerit. Etenim quæ ejus sunt inadspectabilia, cujusmodi est ejus sempiterna potentia atque divinitas, ea ex mundi opificio, dum considerantur per opera, perspiciuntur.*

§. VII.

Nostri etiam temporibus maxime id curarunt Theologi Philosophique ut argumentum illud, quo entis summi, intelligentis, sapientisque, Universi hujus Gubernatoris existentia ex sapienti finium subordinatione ac coordinatione mirificisque naturæ effectibus adstruitur, omnibus viribus ac summæ sagacitatis acumine contra Atheos confirmarent, & contra omnem falsi nominis sapientiam, adversariorumque argutias munirent.

§. VIII.

Illustris NEWTONUS, cujus ingenii maximum acumen, & singularis erga summum Numen reverentia notissima est, argumentum illud quod a *caussis finalibus, sapientique rerum nexu* desumitur, validissimum, convictionique aptissimum judicabat. Nec alium in finem illustris WOLFIUS TELELOGIAM suam scripsit, quam ut ostenderet sapientissimi benignissimique Conditoris ubique reperiri vestigia, neque quidquam in rerum natura esse, ex quo non Spiritus perfectissimi, omnia moderantis, summa eluceat sapientia, infinitus intellectus, maximaque benignitas. Quid dicam de conatibus magni nominis Virorum DERHAMI NIEWENTITIQUE, qui maxima solertia stupendam tam Macrocosmi quam Microcosmi fabricam, miram omnium partium harmoniam, earumque
ad

ad finem aliquem subordinationem perscrutati, ut inde Opificis sapientissimi solertissimique existentiam demonstrarent.

§. IX.

At quodnam hic Atheis subterfugium? Quænam sunt illæ rationes quibus argumentum hoc eludere conantur? Omnia nimirum ea, quæ Viri illi illustres, quos modo nominavimus, aliique celeberrimi nominis eruditi de mira Universi hujus corporisque humani structura totoque regno animali aliisque naturæ effectibus dixere, tot esse indicia argumentaque, omnia ita esse comparata, ut aliter se habere nequeant: Omnia solis naturæ produci Viribus legibusque: Regulas illas, juxta quas natura omnia operatur, adeo esse necessarias, ut illa non possit non secundum eas cuncta efficere: cumque omnia legibus, viribusque naturæ motricibus congruant, etiam manifestissime prodi, soli naturæ, omnia quæ fiunt, tribuenda esse. Addunt hisce, eos qui fines rerum statuunt, jam eo ipso id supponere quod demonstrandum suscipitur & quod in quæstione est: An nimirum detur ens intelligens, quod omnium rerum ipsiusque naturæ sit Auctor? Fines enim, inquit, qui assumit, ille non modo denotat, dari effectum naturalem; qui ad usum aliquem tendit, sed notat etiam, dari aliquem, qui effectum illum prævidit, remque illam huic effectui producendo destinavit; Unde, ex Atheorum sententia, in demonstratione existentiae sapientis rerum omnium Auctoris ex finibus rerum, id jam supponitur quod in quæstione est. Si itaque omnia naturæ legibus, viribusque ejus motricibus sunt convenientissima, ut juxta leges illas aliter se habere

habere nequeant, ente summa libertate prædito; ex sapientissimis rerum finibus agente, omniaque ita moderante ut certi inde nascantur fines atque usus, opus minime erit: Et contra logicæ regulas peccant, qui id jam ante demonstrationem supponunt quod in ipsa quæstione est.

§. X.

Quid ergo illud est quod Athei a nobis desiderant? Quænam est illa argumentandi ratio, quam a nobis requirunt? Vellent [] ut ipsis ostenderemus: *non omnia quæ sunt ex communi naturæ fonte fluere, neque omnia juxta illius regulas determinari, sed exceptionem in quibusdam fieri, aliterque quædam sese habere ac naturæ leges ejusque vires motrices, agendique ratio id requireret: exceptiones illas ideo fieri, ut major inde enasceretur usus, qui minor esset, si nulla a naturæ regulis esset exceptio.* Hoc si locum haberet, ex eorum opinione manifestum esset indicium, non omnia a sola effici natura, sed ens liberum, sapiens ac potens aliquod dari, quod supra naturam esset: quod quædam extra naturæ leges ageret, omniaque ita dirigeret, ut major inde enasceretur usus, quodque adeo naturæ legibus modum præscribere limitesque præfigere posset.

§. XI.

Alterum quod a nobis postulant hoc est, ut nostra argumentandi ratio juxta Logicæ regulas procedat, neque id ipsum, de quo quæritur, jam ante veritatis ex certis principiis demonstrationem præsupponamus.

§. XII.

Prius Atheorum petatum quod respicit, *tria* habemus quæ ipsis regeramus. *Primum* est quod si-
bimet-

bimetipsis, uti in aliis objectionibus, ita præcipue in hac, contradicant. *Alterum* est, quod falsum sit omnia ita a natura esse constituta, ut ex ejus legibus quæcunque occurrunt explicari possint, ut nullibi aliqua inveniatur exceptio, hanc ob causam facta, ut major inde nascatur usus, & ad ultimum effectum producendum harmonia, quam si omnia ita essent comparata, uti solus naturæ impulsus id requireret. *Tertium* denique hoc est: quod non tam ex miris naturæ effectibus, in se & abstracte consideratis, contra ipsos argumentemur, quam ex *harmonia illa universali* omnium naturæ effectuum, qui aliàs, si intrinsecam eorum spectes naturam, diversumque agendi modum, toto cælo a se invicem differunt.

§. XIII.

Primum quod attinet: Athei, ad oppugnandum Dei tam existentiam quam providentiam, argumenta inde desumunt, quod multa in rerum natura occurrant inutilia; multa inordinata, immo noxia: innumera mala tam physica quam moralia, quæ omnia bruto potius naturæ impulsui quam sapientissimo alicui rerum omnium gubernatori tribuenda: Siquidem nullo modo cum entis optimi maximi tam sapientia quam sanctitate ac summa ejus erga creaturas bonitate conciliari possit, ut tot in Universi regimine existant mala, tot defectus, tot res deformes, tot eventus, qui non modo non utiles, sed summo gradu noxii sunt. Ex quibus probare conantur, nullam dari Providentiam: mundum sapientissimo alicui rerum omnium moderatori subjectum minime esse: adeoque nec tale aliquod ens existere, quod uni-
 versi

versi hujus, adeoque naturæ etiam sit auctor, omniumque primus ac independens gubernator.

§. XIV.

Si vero *ab altera parte* hoc maxime contra ipsos urgemus: quod in omnibus sapientissimus apprehendatur nexus: quod nihil in mundo sit inutile: quod omnia suum habeant usum; naturam semper conformiter alicui fini agere: elegantissimum in omnibus esse ordinem: juxta optimas cuncta fieri regulas: ita omnia esse comparata, ut aliter se habere non possint, nisi omnis invertendus sit ordo, multique oriundi in rerum natura defectus: immo in rebus physicis omnia bene ac optime se habere: Clamant Athei: hoc ipsum, quod omnia sint concinna ac ordinata, quod juxta has naturæ regulas res aliter esse nequeant, nisi omnis rerum invertendus sit ordo, omniaque adeo naturæ rerum maxime esse conformia; hoc ipsum, inquit, manifestum esse indicium, cuncta naturæ tantum produci viribus, cum nihil omnino præter leges illius fiat: nihil quod naturam superet, aut a communi ejus operandi modo discedat; unde sequatur: ea omnia etiam nonnisi naturæ tribuenda esse. Sive ergo res secundum constantes quasdam leges, juxta ordinem ac nexum ad certum finem ducentem fiant, sive quædam inutilia, inordinata, & ab optimis regulis declinantia nobis videantur, Athei semper in usus suos convertunt, adeoque *contrariis ac sibi invicem repugnantibus principiis ad rem suam tuendam utuntur*. Unde non de veritate, sed de eo tantum solliciti sunt, ut id debellent, quibuscunque rationibus ac armis hoc fiat, quod ut non existeret, quammaxime optarent.

§. XV. *Al-*

§. XV.

Alterum, quod ipsis regerimus, hoc est: Fal-
fissimum esse, omnia ita a natura esse constituta, ut ex
ejus legibus, quæcunque occurrunt, explicari possint,
ut nullibi aliqua inveniatur exceptio, hanc ob causam
facta, ut major inde nascatur usus, & ad ultimum
effectum producendum harmonia, quam si omnia ita es-
sent comparata, uti solus naturæ impulsus id requireret.
 Ex multis, quæ hic adferri possent exemplis,
 unicum tantummodo proferamus, cujus elucida-
 tio in præsentiarum sufficiet. Est nimirum *Axis*
globi terrestris in planum solis inclinatio. Ita scilicet
 orbis terraquei nostri situs se habet, ut axis illius,
 circa quem diurnus terræ versatur motus, a plano
 solis declinet, vel potius in illud inclinet, neque
 adeo angulum rectum cum eo describat. At cui
 usui hoc? Ut nimirum terra in plurimis locis fru-
 ctibus procreandis apta & habitabilis esset. Si illa
 nihil plane in solis planum inclinaret, sed si axis
 angulum rectum cum eo efficeret, ut æquator in
 illud incideret, neque ullum dierum noctiumque
 esset incrementum vel decrementum, omnesque
 terræ regiones eandem semper erga solem habe-
 rent relationem vel situm, certum est omnes eas
 regiones quas Geographi *Zonæ torridæ* nomine
 complectuntur, propter nimium solis fervorem
 inhabitabiles plane futuras, in quibus nunc latissi-
 ma patent regna, maxime culta, hominum pe-
 cudumque habitacula. Illæ contra regiones, quæ
 vel parum ad septentrionem vel ei oppositam pla-
 gam vergunt, propter continuam dierum nocti-
 umque æqualitatem nimis essent frigidæ quam ut
 fructus in iis maturescere, homines pecudesque
 alimenta sua habere possent. Essent denique re-
 giones,

giones, nunc habitabiles, in quibus absque glo-
 bi nostri inclinatione perpetua nox esset, vel sal-
 tem nonnisi aurora aliqua, solisque non supra,
 sed in horizonte tantum apparitio. Magis autem
 si terræ axis in solis planum inclinaret, nimis ri-
 gidæ in regionibus septentrionalibus forent hyemes,
 perpetua nox tempore brumali esset, ubi nunc
 diei noctisque est vicissitudo. Ex quibus facile
 conficitur: Globi terrestris situm, polorumque
 ejus inclinationem ita se habere, ut ille quam ma-
 xime sit habitabilis: ut quam plurimæ ejus regio-
 nes ab hominibus pecudibusque incoli, & hac
 ratione maxime ei usui inservire queat cui destina-
 tus est. Ut si minima contingeret mutatio, ma-
 xima simul oriretur perturbatio.

§. XVI.

Fit autem hac axis terræ inclinatione, ut motus
 ejus diurnus, qui circa proprium versatur axem,
 non idem planum cum motu ejus annuo circa so-
 lem describat, nec adeo ei conformis sit. Præter
 duplicem hunc motum tertius adhuc ab astrono-
 mis observatur, qui per oscillationem axis polo-
 rumque fit, ut axis motu suo duos describat co-
 nos, quorum apices sunt in centro.

§. XVII.

Si autem in proximam tum inclinationis hujus
 axis, tum motus oscillatorii sive oscillantis ejus
 inquirimus causam, sequens a physicis, unani-
 mi forte consensu, proditur: quod centrum ma-
 gnitudinis terræ non in eodem loco sit cum cen-
 tro gravitatis ejus: ut si centra hæc coinciderent,
 nec a se invicem distarent, nulla esset inclinatio,
 nec

nec motus axis oscillans, quo magis autem a se invicem remota sunt, eo major etiam erit axis inclinatio. Ratio itaque, cur terra nec magis nec minus in planum solis inclinet, hæc est: quod centrum gravitatis nec magis nec minus a centro magnitudinis distat. Justa ergo hæc centrorum amborum distantia in causa est, ut orbis terrestris quam maxime, sive plurimis in locis sit habitabilis, ut si major vel minor esset hæc centrorum distantia, etiam minus globus noster terrestris habitabilis foret, minusque adeo utilis esset.

§. XVIII.

Ut rem paucis repetamus & paulo aliter eam proponamus:

1.] Terræ nostræ, si non finis, quod hucusque adhuc in quæstione est, saltem usus aliquis tribuendus.

2.] Alius ejus usus indicari nequit, quam hic ut hominis animaliumque sit habitaculum.

3.] Cum impossibile sit, ut omnes loci circumquaque in tota orbis terrestris superficie sint habitabiles, major tamen est ejus usus, si plurimæ regiones sint habitabiles, quam si pauciores tantum.

4.] Et si tot regiones habitationi sint aptæ, quot ipsa rerum possibilitas admittit, usus terræ est maximus, sive tantus quantus possibilis.

5.] Si autem nulla axis terræ esset inclinatio, aut si ista nimia esset, globus terrestris non tam habitabilis esset ac nunc est: Inclinatio ergo tanta

est, quanta esse debet ut plurimæ regiones sint habitabiles, & ut maximus terræ sit usus.

6.] Ut autem inclinatio ista locum habeat, certa & iusta aliqua centri gravitatis a centro magnitudinis distantia requirebatur; quæ itaque distantia, tanta præcise quanta est, orbem terrestrem plurimis in locis habitabilem reddit, qualis non esset, si distantia amborum centrorum vel nulla, vel major, vel minor foret.

§. XIX.

His nunc positis principiis, propius ad quæstionem, de qua agitur, accedimus: An nimirum nullibi aliqua a regulis naturæ inveniatur exceptio, eam ob causam facta, ut major inde nascatur usus, & ad ultimum effectum producendum harmonia, quam si omnia ita comparata essent, uti solus naturæ impulsus id requirit?

§. XX.

Hæ nimirum naturæ ex proprio sinu agentis sunt regulæ: ut omnia quæ agit sint simplicissima: Ut motus quem producit sit quam maxime simplex & sibi conformis: ut denique gravia quæque proprio nisu ad centrum ruant.

§. XXI.

Dudum autem agnoverunt Philosophi I.] si nulla peculiaris terræ usus habeatur ratio, eum maxime naturalem ejus situm vel positionem esse, si nulla axis ejus sit inclinatio, sed si planum æquatoris idem sit cum plano solis. Quæ terræ positio ita comparata esset, ut illa in motu annuo suo
circa

circa solem eandem semper erga eum haberet relationem, nec mox hic mox alter polus, mox hæc mox alia regio magis ad eum vergeret, sed æquali ratione semper ab eo distarent tam poli quam reliquæ superficiæ terræ partes. Neque etiam præmittendum hic: terram circa utrumque polum depressiorem quam circa æquatorem esse, quod a maximi nominis Mathematicis tam a priori quam a posteriori demonstratum fuit; quæ ipsa terræ figura ita comparata, ut talem ejus positionem requirere videatur, qua planum solis cum plano æquatoris coincidit. 2.] Motus terræ nec simplex, nec ita comparatus est, ut sibi sit conformis, vel ut unus motus alterum modo simplicissimo, vel naturæ rei convenientissimo producat. Est nimirum motus annuus circa solem, est alius motus circa propriam axem, qui non idem cum motu annuo planum describit, adeoque aliquid difficultatis habet; est denique oscillatio, quæ quidem propter Centri utriusque distantiam necessaria, sed ita comparata, ut reliquos motus minime secundet, sed potius impediat. Unusquisque autem facile videt: triplicem hunc motum nequaquam uniformem, nec simplicitati naturæ conformem esse. Quam simplex contra, quam regulis naturæ conveniens, si motus diurnus cum annuo idem describeret planum. 3.] At unde hæc terræ inclinatio? Undenam hæc diversitas motus? Ejus causam distantiam centri gravitatis a centro magnitudinis esse supra diximus; quæ nova irregularitas in corpore terræ est. Ita una irregularitas alteram, & altera tertiam producit. At irregularitas talis, quæ, etsi in se naturæ rerum ejusque operandi modis minime conformis, tamen,

si usum ejus spectes, optima sapientissimaque est. Undenam autem irregularitas ista provenit? An naturæ effectus illa est? explicent Athei. Undenam illa orta? Qui fit ut nec major illa sit nec minor quam verus terræ usus id requirit, sed ut ei exactissime respondeat? Fortuitone casu optima illa, & si usum ejus spectes, adæquatissima exactissimaque irregularitas orta? Ne minimam quidem probabilitatis speciem hæc habent, cum ipsa naturæ agendi ratio aliud postulet.

§. XXII.

Si admittas summum rerum moderatorem, providam ejus curam, sapientissimos rerum fines, clavem habebis facilem, qua hæc recludas, & variae irregularitatis hujus rationes des. Omnia nimirum fini sapientissimo subordinata sunt, qui ut obtineatur, quædam subinde naturæ rerum non in omnibus conformia facienda sunt. Vult Deus, orbem hunc terrestrem creaturarum rationalium habitaculum esse; qui finis postulat, ut tanta terræ regio sive superficies sit habitabilis fructiferaque quanta fieri potest. Huic fini consequendo oportet axis terræ in solis planum inclinari, quod ut fiat centrum gravitatis ejus a centro magnitudinis ejus removendum fuit. Licet autem distantia hæc, indeque nascens motus, simplicitati naturæ minime conformis, sed irregularitatis quid habeat, optima tamen, sapiens & utilis, cum ultimo fini quammaxime inserviat.

§. XXIII.

Ex hisce nunc talem conclusionem inferre nobis liceat, quæ eadem complectatur quæ in præmissis

missis contenta & probata sunt: *Falsum scilicet esse, omnia ita a natura esse constituta, ut ex ejus legibus, quæcunque occurrunt, explicari possint, ut nullibi aliqua inveniatur exceptio & irregularitas hanc ob causam facta, ut major inde nasceretur usus, & ad ultimum effectum producendum harmonia, quam si omnia ita essent comparata, uti solus naturæ impulsus agendique modus id requireret.*

§. XXIV.

Tertium, quod Atheorum exceptioni regerimus, hoc est: quod non tam ex miris naturæ effectibus, in se & abstracte consideratis contra ipsos argumentemur, quam ex harmonia illa universali omnium naturæ effectuum, qui aliàs, si intrinsicam eorum spectes naturam, diversaque actionis principia, agendique modum toto cælo a se invicem differunt. Omnia nimirum in hac terra ita comparata sunt, eoque tendunt, ut homini sit commoda habitatio, cunctaque usibus ejus inserviant; huc omnia, quamcumque aliàs discrepantia & diversa, tandem collimant. At si fortuita cuncta sint, qui fit, ut maxima omnium, diversissimorum etiam, sit harmonia atque consensus? Si ageretur de re quadam simplici; si tantum paucissimi, licet mirabiles, naturæ essent effectus; si non tantus variorum esset consensus, tunc facile aliquis eo induci posset, ut sibi persuaderet: solo naturæ impulsu ea omnia produci. At quanta est rerum omnium in universo varietas, quæ nec cogitationibus comprehendi, nec verbis exprimi potest? Et quantus contra est varietatis illius consensus, ut nihil accuratius excogitari queat, ut nulla sapientia humana eo pertingere valeat ut vel

millesimam saltem partem maximæ harmoniæ summæ varietatis illius explicare possit. Non ea nimirum solum sunt harmonica, quæ sibi invicem ita subordinata sunt, ut unum semper sequatur alterum: non ea tantum, quorum unum est caussa alterius, sed ea quæ ex plane alio fonte profluunt, quæ plane aliam causam habent, quibus nihil simile, nihil inter se commune est; hæc omnia in unum conspirant, hæc omnia ad perficiendum ultimum aliquem effectum consentiunt. Si cuncta hic in tanto varietatis consensu enarrare vellem, omnes totius scientiæ naturalis thesauri mihi recludendi, & maximum volumen conscribendum esset. Hoc unum mihi concludere liceat: *Nos non ex singulis naturæ effectibus in se consideratis, abstracte a reliquis, sed ex harmonia illa universalis contra Atheos, pro entis sapientissimi, rerum omnium moderatoris existentia argumenta desumere.*

§. XXV.

Alterum, quod Athei contra argumentum a causis finalibus desumptum excipiunt, hoc est: Quod nimirum ii, qui fines rerum statuunt, jam eo ipso id supponant quod demonstrandum suscipitur & in quæstione est: nempe dari ens intelligens, quod omnium rerum ipsiusque naturæ sit auctor, siquidem finis semper aliquem supponat, qui effectum prævidet, & media huic effectui producendo destinat.

§. XXVI.

Respondemus: nostram argumentandi rationem ita procedere, non ut statim asumamus dari fines rerum, vocabulo hoc sensu maxime proprio sumto, sed tota illa demonstratio ita se habet, ut probe-

probemus ex harmonia illa universali, quam in omnibus observamus, dari fines rerum; quo probato etiam existentia entis sapientissimi omnium rerum auctoris demonstrata est. Existentiam itaque Dei ex causis finalibus demonstrare nihil aliud significat, quam probare, dari fines rerum, & inde concludere dari ens intelligens & summe sapiens quod omnia moderetur ad universalem aliquem finem. Per finem itaque hic nihil aliud intelligimus, quam *harmoniam universalem ad ultimum aliquem effectum*, nulla hactenus ratione habita, an ens aliquod sapiens & intelligens adsit, quod harmoniæ hujus auctor sit, ultimum effectum intendat, mediis ei rei consequendæ aptissimis utatur, quodque adeo cum sapientia agat. Possumus nimirum harmoniam diversarum rerum observare antequam de auctore ejus cogitamus; perspicere possumus: cuncta ad unicum aliquem effectum perficiendum concurrere, & quisnam ultimus ille sit effectus, priusquam disquirimus, num aliquis adsit, qui effectum huncce intendat. Versantes itaque in magno universi hujus teatro, videmus orbem hunc, quem incolimus, esse habitabilem, sive habitationi creaturarum rationalium aptissimum; observamus insuper, omnia in hoc Universo ita esse comparata, & huc concurrere, ut orbis iste habitabilis maneat, incolisque nunquam destitutus sit; observamus harmoniam aliquam universalem, maxime mirabilem, qua cuncta effectui huic producendo mirum in modum consentiunt. Et cum omnia quæcunque fiunt in ultimo hoc effectu desinunt, eum ceu finem omnium reliquorum consideramus. His observatis demum inquirimus: num harmonia ista universalis

ad ultimum illum effectum perficiendum ita comparata sit, ut absque ente summe sapiente concipi minime possit. Si effectus varii generis diversissimique ita sunt harmonici, ut sapientiam maximam in omnibus spirent, concludimus: Harmoniam illam talem esse, ut absque ente aliquo sapientissimo, ejus auctore, ita se habere nequaquam possit; unde demum conclusionem inferimus: Dari aliquod ens intelligens, potens, ac sapiens, quod harmoniæ istius auctor ac naturæ moderator sit. Ex quibus nunc satis liquidum est: Eos qui existentiam Dei ex causis finalibus demonstrant, ens illud intelligens minime præsupponere, licet ex mira illa harmonia universali ad ultimum aliquem effectum probent, dari finem aliquem universalem, & ita demonstrent: harmoniam istam ita comparatam esse, ut absque moderamine entis intelligentis sapientisque nec esse nec concipi possit. Sive, ut brevius rem repetam: *Existentiam Dei ex finibus rerum demonstrare, non significat, supponere dari fines rerum, & inde concludere, etiam dari ens aliquod intelligens rerum omnium auctorem & moderatorem; sive, est demonstrare, in omnibus rebus dari mirabilem aliquam universalemque harmoniam ad ultimum aliquem effectum perficiendum, eamque sic comparatam esse, ut absque sapiente Auctore ac moderatore locum habere minime possit.*

T A N T U M.

EPI-